Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contemto sedet.

deinde in Epist. I. 1. 62:

Roscia, dic sodes, melior lex an puerorum
naenia, quae regnum recte facientibus offert.

Itaque anno 21 a. Chr., quo Horatius Epistolarum librum priorem absolvit, lex Roscia nondum nova lege repetita erat. Videtur id postea fecisse Augustus, nam nulla est dubitatio quin Iulia lex theatralis Augustum habeat auctorem. Equites, qui metu poenae e quatuordecim spectare ludos non audebant (ut supra vidimus), non veterem aliquam legem theatralem metuebant, sed novam ac recentem, quae erat ipsa lex Iulia. Leges theatrales facile obsolescunt, praesertim temporibus turbidis. Itaque quum lex Iulia obsolevisset, eam Domitianus confirmavit, teste Suetonio in vita Domitian. 8. *Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit*, ubi *in equite* dictum est eodem sensu quo olim *in quatuordecim* et deinde *in equestribus*, vid. Sueton. Calig. 26 ibique Interpretes. Inhibitam licentiam theatralem, ut equestria ab infimo quoque occuparentur, non uno loco celebrat Martialis, veluti V. 26:

Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrate, surge:
Lectius ecce venit, sta, fuge, curre, late.

et imprimis Epigramma V. 8, cuius initium est:

Edictum domini deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.

Ad sua usque tempora equites hoc retinuisse Plutarchum supra audivimus dicentem: *καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσιν.*

2.

Themistii locus correctus.

Suorum temporum felicitatem praedicans Themistius p. 178 D. ita scribit: *ἔξεστιν ἀφεμένους τῶν πόνων καὶ τῶν φροντίδων πλεῖν ἡσυχῇ τῶν ἱστίων ἐμπεπλησμένων πνεύματος ἀγαπητοῦ καὶ ἀθορύβου καὶ διαρκοῦς ἐστεφανωμένους καὶ ὑμνοῦντας τὸν δοτῆρα θεὸν*

τῆς εὐπαθείας. Ultimum vocabulum in mendo cubat, quod quia sat frequens est et Criticis notum non diu vera lectio quaerentem fugiet. Confundi solent ЄΥΠΛΟЄΙΝ et ЄΥΠΑΘЄΙΝ, εὔπλοια et εὐπάθεια, ἀντιπάθεια et ἀντίπλοια, similiaque, quoniam utrum ΛΟ an ΑΘ scriptum esset in libris vetustis vix apparebat et ubique ΙΑ pro ЄΙΑ perperam scribebatur vel contra. Multa huius confusionis exempla alibi protulimus, quibus alia complura aliunde addere facile foret. Dederat igitur Themistius τὸν δοτῆρα θεὸν τῆς εὐπλοίας, quod unice rei convenit et non illepide institutam imaginem aptissime absolvit. ЄΥΠΛΟΙΑC abiit in ЄΥΠΑΘΙΑC, idque de more in εὐπαθείας. Notus est locus Plutarchi *de Tranquillitate Animi* p. 469 D: Ἀντίπατρος ὁ Ταρσεὺς πρὸς τῷ τελευτᾶν ὧν ἔτυχεν ἀγαθῶν ἀναλογιζόμενος οὐδὲ τὴν εὔπλοιαν παρέλιπε τὴν ἐκ Κιλικίας αὐτῷ γενομένην εἰς Ἀθήνας. Cicero *de Nat. Deor.* III. 34. „Dionysius quum fanum Proserpinae Locris expilavisset navigabat Syracusas, isque cum secundissimo vento cursum teneret ridens, *Videtisne*, inquit, *amici, quam* bona *a Diis immortalibus* navigatio *sacrilegis detur?*" Uterque ὑμνεῖ τὸν δοτῆρα θεὸν τῆς εὐπλοίας, quamquam non eodem animo. Eandem ex portu solventes sibi a Diis precabantur, ut Cato Uticensis apud Plutarchum *ad Principem ineruditum* p. 781. D. Κάτων ἐν Ἰτύκῃ τοὺς ἄλλους ἅπαντας — ἐμβιβάσας εὔπλοιαν εὐξάμενος ὑπὲρ αὐτῶν εἰς οἶκον ἐπανελθὼν ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν. Primus omnium Achilles dixit Iliad. I. 362:

> εἰ δέ κεν εὐπλοΐην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος
> ἤματί κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

ubi male editur εὐπλοίην.

Simillimae et paene gemellae confusionis unum sed luculentum exemplum adscribere iuvat. Apud Polybium VI. 10 Bekkerus edidit ἰσορροποῦν καὶ ζυγοστατούμενον κατὰ τὸν τῆς ἀντιπλοίας λόγον ἀεὶ τὸ πολίτευμα, immemor palmariae Reiskii emendationis, κατὰ τὸν τῆς ἀντιπαθείας λόγον. Apud Strabonem III. p. 172 Casaub. quum in libris esset πεπιστεῦσθαι κενῶς ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων τὴν ἀντίπλοιαν Xylander optime τὴν ἀντιπάθειαν reposuit, ut post pauca p. 173 emendate scriptum est in omnibus, ἐπιδείκνυται τὴν τῆς ἀντιπαθείας ὑπόνοιαν. Vides pro ἀντιπαθείας olim ΑΝΤΙΠΑΘΙΑC

scriptum fuisse, unde scribas aliud agentes *ἀντιπλοίας* effinxisse. Contrario errore apud Themistium ex ЄΥΠΛΟΙΑC *εὐπαθείας* natum est.

Apud Suidam in v. *Τὰ Σαμίων* dicitur *σάμη* esse *εἶδος πάθους Σαμιακοῦ*, ubi viri docti infeliciter admodum *σκάφους* pro *πάθους* coniecerunt. Unusquisque statim intelliget *πλοίου Σαμιακοῦ* reponi debere et causam erroris perspiciet.

Non tantum simile, sed plane idem vitium quod e Themistio eluimus, commissum est in Floril. Stobaei CXX. 25. *τὸν ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφον Ἀντίπατρον ἀποθνήσκοντα λέγουσιν ἐν εὐτυχήματος μέρει διακεῖσθαι καὶ τὴν ἐκ Κιλικίας αὐτῷ γενομένην εἰς Ἀθήνας εὔπλοιαν*, ubi pro *εὔπλοιαν* Grotius *εὐπάθειαν* enotavit. Apud eundem Stobaeum Floril. CV. 29. *εὖ παθοῦσιν* pro *εὐπλοοῦσιν* scriptum est manifesto errore. Cf. quae de ea re diximus in *Var. Lectt.* p. 2 et in *Nov. Lectt.* p. 334.

In Stobaei l. l. vitiosum est *διακεῖσθαι*. Quid reponam non habeo, nam *διηγεῖσθαι* non placet. In vita Marii cap. 46 de eadem re scripsit, *τὸν Ταρσέα λέγουσιν Ἀντίπατρον — μηδὲ τῆς εἰς Ἀθήνας οἴκοθεν εὐπλοίας ἐπιλαθέσθαι.*

3.

Aeschyli fragmentum emendatum.

Nauckius in Fragm. Trag. Graec. pag. 73 ex Crameri Anecd. Oxon. I. p. 119, 12 fragmentum Aeschyli exhibet sic scriptum:

πᾶσα γὰρ Τροία δέδορκεν Ἕκτορος τύχης διαί.

Nemo ex his umquam sanum sensum exsculpat. Nil iuvat Bernhardy pro *δέδορκεν* coniiciens *δέδουπεν*. Duplex in vulgata scriptura vitium est, quod quum lenissima correctione sustuleris clara luce locus splendebit. In *τύχης*, ut passim alibi, latet *ψυχῆς*: ΔЄΔΟΡΚЄΝ vitio natum est ex ΔЄΔΟΙΚЄΝ. Poëta dederat:

πᾶσα γὰρ
Τροία δέδοικεν Ἕκτορος ψυχῆς δία.

quod more Aeschyleo magnifice dictum est pro *Ἕκτορος φοβηθέντος πᾶσα ἡ Τροία εἰς φόβον καθίσταται.*

C. G. Cobet.